



ΠΕΡΙ ΜΟΝΑΡΧΙΑΣ
ΛΟΓΟΣ Α.

PHILONIS IUDAEI DE
MONARCHIA

LIBER I.

ΤΙς ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τοὺς ἄλ-
λους ἀστέρας ὑπέλαβον εἶναι θεοὺς
αὐτοκρατορας, οἷς τὰς τῶν γινομέ-
νων ἀπάντων αἰτίας αἰέθισαν. Μω-
σεῖ δὲ ὁ κόσμος ἐδόξεν εἶναι καὶ γηνη-
τός, καὶ καθάπερ πόλις ἢ μαγίστη, ἀρχοντας δὲ ἔρου-
σα καὶ ὑπηκόους ἀρχοντας μὲν τοὺς ἐν οὐρανῷ πάν-
τας ὅσοι πλανήτες καὶ ἀπλανεῖς ἀστέρες· ὑπηκόους
δὲ τὰς μὲν σελήνην ἐν αἰεὶ περιγίσις φύσις· τοὺς δὲ
λεχθεῖν ἀρχοντας, οὐκ αὐτοκράτορας, ἀλλ' ἐνός
τῶ πάντων πατέρος ὑπάρχοντος, οὗ μισομηδῶν τὴν
δουλοῦν καταρδοῦ, κορυτανεύοντος καὶ δίκην καὶ
νόμον ἕκαστον τῶν γερονύτων· τοὺς δὲ μὴ βλέποντας
τὸν δουλοθετικῶτα ἡνίοχον, τοὺς ὑπεζουγμένους ὡς
αὐτοκράτορας τῶν ἐν κόσμῳ γινομένων αἰτίας, τὰς
αἰτίας ὧν τὴν ἀγνοίαν ὁ ἱερωτάτης νομοθέτης εἰς
δουλοθετικῶν μεθαρμόζεται λέγων ὡς, Μὴ δὴ τὸν
ἥλιον ἢ τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας καὶ πάντα
τὸν κόσμον τῶ οὐρανῷ, πλανητοὺς περισημῶσις
αὐτοῖς. εὐθυβόλως πάντων καὶ καλῶς πλάνον εἶπε τὰς
τῶν εἰρημῶν ὡς θεῶν ἀποδοχῶν. οἱ γὰρ ἰδόντες ἡ-
λίου μὲν περιόδοις καὶ ἀναχωρήσει τὰς ἐπισημῶν
ἡρας σωισμαμῶν, ἐν αἷς καὶ ζώων καὶ φυτῶν καὶ
καρπῶν γινομένης ὡς ἰσχυρῶν χροῶν περιόδοις τε-
λισσομενῶνται, σελήνην δὲ ὑπηρετικῶν καὶ δόδο-
χον ἡλίου, νύκτωρ τὴν δουλοθετικῶν καὶ περισημῶν
αἰετληφῶν, ὧν μὲν ἡμέραν ἥλιον καὶ τοὺς ἄλλους ἀ-
στέρας καὶ τὴν περιῶν τὰ δουλοθετικῶν συμπαράδοξον, μυ-
ρία τῶν δουλοθετικῶν παρόντος ἐνεργητικῶν τῶ
καὶ δροῦντας, πλάνον ἐπ' ἀληθῶσιν αἰνήνυτον, μό-
νοις εἶναι τοῦτοῖς θεοὺς ὑποποπήσαστες· εἰ δὲ ἐσώδα-
σαν δὲ τῶ ἀπλανοῦ βαδίζον ὁδοῦ, εὐθύς αὖ ἐ-
γνωσαν ὅτι καθάπερ ἀσθενοῦς ὑποδοχῶν ὡν γέ-
ροντες, τὰ τὸν φόπον καὶ οἱ ἀσθητοὶ πατέρες ὑπηρε-
ταὶ τῶ νῦ σωίσσασαν, ἀγαπήσαστες εἰ δουλοθετικῶν
ἐφίξοντα. παρὰ γὰρ οἱ οἰεδαὶ ὑπὸ νοῦ μὲν ὅ ἐν
ἡμῖν βραχυτάτος ὧν καὶ ἀόρατος ἡγεμῶν τῶν αἰ-
σθητικῶν ὀργάνων εἶσιν. ὁ δὲ τῶ πατὴρ ὁ μέγιστος
καὶ τελειώτατος, οὐχὲ βασιλεύς βασιλείων εἶναι πύ-
φυκε, βλεπομένων οὐ βλεπομένων. πατέρας οὖν τοῦ κατ' οὐρανοῦ οἷς ἀσθητικῶν δουλοθετικῶν
θεοῖς, οὐκ αὐτοκρατορεῖς νομισθῶν, τὴν ὑπάρχον τῶν εἰληχῶν, ὑπευθύνου μὲν φύσις

QUIDAM solem & lunam caeteraque
sidera crediderunt esse Deos rerum
dominos, ad quos omnium quae
fiunt causas retulerunt. at Moses o-
pinatur mundum & creaturam esse, & more am-
plæ civitatis magistratus habere ac subditos:
magistratus, quotquot in caelo sidera vel fixa vel
erratica: subditorum verò loco naturas quæ lu-
nana inter & terras degunt in aere. caeterum di-
ctos magistratus non esse potestatis liberæ, sed
subpraefectos vnius patris rerum omnium, ad
cuius imitationem iulle legitimæque admini-
strent singula negocia. sed hebetes quosdam
quia summum illum rectorem non videant,
inferioribus istis, quasi liberæ potestatis essent,
causas rerum attribuere. quorum ignorantiam
sacer legislator castigat verbis his: Cave ne con-
spicatus solem, lunam, sidera, omnemque caeli
ornatum, opinione falsus adores ea. Recte ad-
modum & pulchre fallaciam vocat, diuinum
cultum rerum supradictarum. nam quidam ani-
maduertentes solis processibus ac recessibus tē-
perari anni tempora, quibus animalia, stirpes,
fruges, proueniant maturescantque, lunam verò
minitram solis & absentis vicariam, ut
quæ noctu praesit rebus quibus sol interdium,
alias item stellas afficere varie terrestria, in
errorem inducti sunt inexplicabilem, suspicati
nullos esse Deos praeter hos. quod si studuis-
sent per rectam viam incedere, statim didicis-
sent, quod quemadmodum nostri sensus mi-
nistri mētis sūt, sic & sensibiles isti magistrat^o mi-
nistri sunt illius intelligibilis, boni consulentes
censeri se in secundo ordine. ridiculum autem
esset opinati, mentem in nobis, cum sit parua &
inuisibilis, praesse instrumentis sensuum: il-
lam verò vniuersalem maximam perfectissimā-
que non habere regnum in reges ipsos, inuisi-
bilem in visibiles. ergo credendum est omnes il-
los caelites qui percipiuntur sensibus, non esse
sui iuris, nec habere potestatem propriam, sed
subpraefectorum tenere ordinem, sic natura fa-
ctos ut sint obnoxij, quamuis sumamus ille re-
ctor non reposeat ab eis rationem, propter

οὐκ αὐτοκράτορες νομισθῶν, τὴν ὑπάρχον τῶν εἰληχῶν, ὑπευθύνου μὲν φύσις
Ggg 2

virtutem ipsorum eximiam. Itaque transcensa per cogitationem omni visibili essentia, pergamus ad cultum illius inuisibilis qui sola mente percipitur, solus Deus deorum tam intelligibilium quàm sensibilibium, atque etiam rerum cunctarum opifex. quòd si quis religionem quæ sempiterno conditori debetur, alteri iuniori aut creato tribuat, inter insanos referendus est ac impios. Sunt item quidam qui aurum argentumque (statuarijs, quasi Deos fingere scientibus, suppeditant. hi mox acceptam rudem materiam ad exemplar mortale formant, ut (quod est absurdissimum) talia simulacra pro dijs colantur, fanis constructis & dedicatis altaribus, honorenturque pompis. sacrificijs & cæteris ritibus atque ceremonijs per sacrificios & sacrificas augustum in modum exquisitis cura quoad fieri potest maxima. id rerum pater vetat prædicens: Non facietis vobis Deos aureos & argenteos. tantum non expresse docens, ne ex alia quidem vlla materia Deos manu faciendos esse, quando præcipuis duabus interdicitur. argentum enim & aurum primatum in metallis obtinent. Verùm præter hoc apertum interdictum, videtur mihi subesse hic & aliud præceptum vile moribus, auros valde arguens, vnde cunquæ argentum & aurum sibi quærentes, & acquiritum tanquam numen recondentes in penetralibus, totam suam felicitatem acceptam illi ferendo. quin & illos qui cum non possint proprias diuitias colere, quòd his careant, alienas mirantur, non minus avari quàm illi priores: quos adoraturi mane ad ædes eorum tanquam ad sanctissima templa curant, bona peturi ab his quasi numinibus. Hos alibi quoque lex admonet: Idola non consecretabimini, nec facietis vobis deos fusiles: figurate docens, diuinos honores non conuenite diuitiis. auro enim argentoque firmè constant diuitiæ quas vulgus sectatur sub illius cæci Pluti nomine, cui soli se debere felicitatem existimat: hoc est simulacris, ut scriptura loquitur, vmbrijs & vanis imaginibus, nihil solidum firmumve habentibus. feruntur enim vltro citroque ventorum in morem. id verum esse argumento certissimo colligitur: quia sicut interdum repente aduolant, ita prius quàmprehendantur, possessore illuso rursus auolant. atque etiam cum adsunt maximè, speculares quasdam repræsentant imagines, præstigijs sensuum, ludibrijsque instabilia. Sed quid opus est fastum istum & opulentiam, quam sibi homines fingunt, vanitatis coarguere, cum non desint qui existiment animalia stirpèsque, & quicquid gignitur ac corrumpitur, perpetuo fluere, detrimentis tamen obscurioribus quàm ut sensui pateant, quòd naturæ velocitatem visus quantumuis accer assequi nequeat.

Nec tantùm opulentia gloriaque habent sua simulacra & inanes imagines, verùm & omnes isti fabulosi quos poetæ commentifunt contra veritatem propugnatores mendacij, nouis dijs velut è machina introductis, ut ille verus sempiternusque obliuioni traderetur. & quo facilius homines allicerent, carminibus, numeris metrisque ornarunt mendacium, rati se fucum facturos lectoribus. Nec hoc contenti assumpserunt in fraudis societatem pictores & statuarios, ut colorum specie figurisque affabre factis & expolitis spectatores inescatos subigerent, iniectis in præcipuos sensus visum auditumque laqueis, alterum captum inanimis pulchritudinibus, alterum verò suauis incantatione poetica, insinuante se in animam & vires eius labefaciente atque constantiam. Propterea legislator non ignarus ad quantam molem ista vanissima persuasio intumuerit, quantoque stipata sit plerorumque hominum imperitorum satellitio, sponte sua potentiam eius protegentium, veritus ne quando meditatores incorruptæ veræque pietatis, ab ea tanquam torrente raperentur inuolenturque, profundos sanctitatis typos in auditorum mentes imprimit & inscalpit, ne vnquam deleantur confundanturque iniuria temporum, cõtinue cantionem eandem repetens: vnum esse Deum conditorem factorumque rerum vniuersarum, & hunc dominari creaturis omnibus, quandoquidem vere firma constansque penes ipsam solum est autoritas. Dictum est autem omnes viuere, quicumque Deo vero adhærent. an non igitur felicissima & ter beata vita fuerit, vnum rerum autorem antiquissimum colere potius, quàm hoc rege posthabito venerari ianitores eius apparitoresque? nam vitæ huius immortalitas relata est in naturæ tabulas, duraturis in æternum vnà cum mundo literis. Difficile quidem videtur quætere perciperèque patrem & rectorem vniuersorum, sed conandum tamen impigre. occurrunt autem hic duo præcipue quærenda menti germane philosophanti. Vnum, an sit Deus, quod negat quorundam pessima impietas: alterum, quid sit Deus. horum primum non magno discitur negotio: secundum verò non solum difficile est discere, sed etiam fortassis impossibile. consideremus vtrūque. Opifices plerumque noscuntur ex opificijs. quis enim inspecta statua vel tabula, non statim intelligit pictorem vel statuarium? quis vestibis, nauibus, domibus inspectis, non cogitat textorem, materiarium, cæmentarium? itò dum aliquis adit urbem cuius bene constituta sit res publica, ornatæque pulchris legibus, quid aliud credet quàm bonos ei magistratus præcesse? sic qui venit in hanc veram Megalopolim, mundum videlicet, videns terræ montana & campestria plena stirpibus & animalibus, amnis perennibus & torrentibus, pabulis & maritimis subuectionibus, tum aeris temperient & mutationes vicésque annuas temporum,

DE MONARCHIA.
PHILONIS IVDÆI LIBER I

630

ad hæc solē lunāmq. noctis & diei principes, cæteraque sidera vel fixa vel erratica, totūque cæli choreas & ambages: nōne verisimilem atque ad eō necessariam cogitationem de horum patre cōditore atque restōre concipiet? nullum enim artificiosum opus sponte provenit. mundus autem arte summa factus est, dubio procul à cōditore optimo ac perfectissimo. Ita iam esse Deum percepimus. Nunc essentiam hu. us, quamvis vestigatu inveniūque perdifficilem, tamen quoad fieri potest scrutari libet. nihil enim magis quam verus Deus quærendum est, etiam si eius inventio supra vires humanas sit: quandoquidē ipsū per se discendi studium incredibilem affert voluptatem ac læticiam, sicut testantur quicumque non summis labris degustarunt philosophiam, sed affatim oblectati sunt dogmatum eius epulis. horum enim ratio sublimis à terris raptā incedit per æthera, totum cælū cum solē ac luna perlustrans studio visendi omnia, quamvis hebetiore visu vix ferat clarissimum sincerissimumque splendorem effulsum obuiam, ita ut animæ oculis caliget ad eius radios, & quasi tentetur quadam vertigine. nec tamen ab incepto desistit prælaltitudine, sed inuicta contentione pergit contemplari pro viribus, vel ad secundam palmā aspirans, sicut in sacris certaminibus, quādo non datur primam assequi. post imaginationem autem veri coniectura secundum locum obrinet, in quantum nō discrepat à bonis rationibus ac probabilibus. Quemadmodum igitur certo scire non possumus, cuiusque stellæ qualis sit essentia quærimus tamē alacriter, oblectamurque rationibus verisimilibus propter genuinū discendi desiderium: ad eundem modum licet verum illud ens Deum non valeamus cernere, debemus indefinenter eum quærere, quando hæc consideratio vel per se ipsa circa inuentionem, res est summe desiderabilis. nam nec corporis oculis quisquam vertit vitio, quōd cum non possint solem ipsū obrueri, radiorū ab eo in terram defluentium splendorem extremum aspiciūt. quapropter amicus Dei Moyses & mysteriorū eius interpret, supplex precatur: O tēde mihi te ipsum: tantum non disertē proclamare coactus, Esse te docente mūdo didici, qui me ut filius de patre, ut opus docuit de artifice. quæ porrō tua sit essentia cum scire cupiam, qui me hoc docere possit in vniuerso mundo inuenio neminem. oro igitur ut exorari te patiaris ab amico supplice, & qui solus potes opem afferas. Sicut enim lux à nulla re illustratur, sed seipsa ostendit, sic tu re solus potes ostendere. si: ergo venia confugere ad te audenti propter perituram magistrorū in summo discēdi desiderio. Ad hæc Deus: Ardorem discēdi probo ut meretur, cæterū quod petis, neminem natum imperare fas est. tibi tantū largiar quantum convenit. nec enim quicquid ego dare possum facile, id & homo potest

631

accipere. ideo cum dignus sis mea gratia, donaberis omnibus quorum capax es muneribus. mei verō noticiam tantum abest ut natura humana capiat, ut ne totum quidem cælum totisve mundus possit eam capere. Nosce te ipsum, nec finas te cupidine rerum quibus impar es abripi, & sublimiora te noli plus æquo appetere. poteris enim omnibus, quibus potiri fas erit. His ille auditis preces iterat. Persuades, inquit, mihi me non posse manifestam imaginationem tui mente concipere: oro tamen, ut saltem gloriam tuam videre liceat. gloriam dico potestates quarum stiparis satellitio, quæ hactenus ignoratæ miro me torquent cognitionis desiderio. Tū Deus: Quas quæris potestates, utique intelligibiles sunt, non visibiles, sicut ipse sum inuisibilis, & intelligibilis. intelligibiles inquam, non quōd iam intellectæ sunt, sed quia si comprehendi possent, duntaxat mente, nō sensibus, essent comprehensibiles, cum mentis natiuus vigor talium rerum sit capacior. attamē quāuis earum essentia sit incomprehensibilis, videre licet sigillū quoddam & effigiem earum efficaciam: quemadmodum apud vos annulis in ceram imprellis similēve materiam exprimuntur figuræ variæ, & quidem integræ omnibus sui partibus. tales cogitandæ sunt potestates, quæ mihi astant pro apparitoribus, & qualitates formæque addūt rebus qualitate formæque carentibus, absque villo sempiternæ lux naturæ detrimento. hæc non remerē ideæ nominantur à quibusdā vestratibus, quia singula *ιδιωτήτων* hoc est suam cuique reddunt proprietatem, inordinata redigunt in certum ordinem, infinita, inderterminata, informia formant, definiunt, terminant, & in vniuersum deteriora in melius reparant. Nō est igitur quod speres te percepturū vquam vel me ipsum, vel vllamē meis potestatibus. quorum autem capax es, libenter (ut dixi) facio tibi copiam patebit tibi mundi & eorum quæ in ipso continentur spectaculū, nō corporis, sed mentis peruigili collustrādum cōprehendendūmq. oculo. tu modo perge amare indefinenter sapientiā, quæ suos discipulos explet laudatissimis honestissimisque placitis ac sententiis. His auditis confirmatū est in eo sapientiæ studium, & hodiēq. ad rerum inuisibilium amorem excitat omnes sui similes, complectens tū populares, tum eos qui aliūde transitionem fecerunt ad meliorem ordinem: alteros ut à nobilitate nō degeneres, alteros ut in generis societatem alicitos à nobilibus. quales vocantur profelyti seu aduenæ, quod postquā aliunde venere nouelli coloni sint ascripti in ciuitatem, qui cōtempis figmentis fabularum, sincera instituta recipiūt. omnes autem æquo iure uti voluit tam aduenas quā indigenas, veteres ciues admonēs ut hos novos non solū honorent, verū etiam eximia prosequantur beneuolentia. & merito. Cum reliquerint patriā, cognatos amicosque pietatis ergō sanctitatisque, non

DE MONARCHIA.
PHILONIS IVDÆI LIBER I

632

excludantur ab aliis ciuitatibus, familiis, amicitiiis, sed pateant receptacula hominibus ad religionem veram transfugientibus. nam vnus Dei cultus est amoris mutuaque beneuolentiæ vinculum insolubile. exequatis autem honore iurèq. cū aliis ciuibus, propter abdicatam superstitionem traditam sibi dudum à maioribus, nō permittit effren. linguæ petulantia conuicari diis creditis falsa persuasione aliarum gentium, ne & illæ irritatæ prorumpant in voces nefarias cōtra Deum optimum maximum, nimirum non docti verum à rallo discernere propter depravatam institutionem & errorem iam inueteratum. interdum tamē reperiuntur quidam e ciuibus, qui omisso vnus Dei cultu à pietate deficiunt, & ordinem suum deserunt, plectendo pœna vltima, quòd tenebras præponant luc. clarissimæ, & data opera mentē excæcant, cū potuerint verum cernere. permillum est autē cuius benè nato educatoque & maiorū virtutis æmulo, à talibus sine mora pœnas sua manu exigere, nō expectato assensu senatus & iudicium, imò ne delato quidem nomine: & sequi animi amantis Deum infestique vicis impetum concitati aduersus impios nulla dignos clementia, semel accepta potestate senatus, iudicium, prætorum, tribunorum, accusatorum, testum, legū, populi, vt absque omnibus impedimētis in repide pro pietate decertare liceat. & extat in sacris legum voluminibus exemplū tā præclari facinoris. Vir quidā conspicatus cives suos in amplexus exterarum ruere, pelliciarum blanditiis in ritus alienos à religione patria, atque etiam sacris earū initiari, principem eius factionis & legū contemptus autorem præferocem (iam enim propalam ostētabatur audacia nefaria, & simulacris matēbantur victimæ) in cōspectu totius populi furore diu no percitus, dimotis turbis quæ ad spectandum conuenerant, fortiter aggressus interemit vnā cum muliere: ipsum quia facile se discipulum præbuerat ad discenda quæ satius fuisset dediscere, illā verò quòd maliciæ nequiciæq. magistra fuerat, id tam callidum facinus repente visum castigauit plurimos, & reuocauit ad officiū. Quæ circa Deum laudauit strenuè nauatam operam in iussu magistratum, & promptam alacritatem honorauit duplici præmio, pace ac sacerdotio: tum quia iudicauit immunem à malitia debere esse in posterum propugnatorem diuini cultus fortissimum: tum quia sacerdotalis honor pietati debeatur merces propria, quæ est professio seruiēd. cælesti parenti optimo, cui seruire optabilius est quàm regnare, nedum esse liberum. non desunt tamen quidam prolapsi eò insanix, vt ne receptū quidē ad pœnitentiam sibi reliquum faciā, ad cultum simulacrorum præcipientes, confirmantes eam seruitutem literis, non in chartula scriptis sicut mos est mancipiorum, sed in uultu in corpus ferro igni ne deleri queant postea. nā hæ nō obscurantur villo tēpore. At legiser

633

Moses vir sanctissimus idem propositum per omnia cetera tenuit, ut pote veritatis amator atque magister, cunctis suæ gentis hominibus cupiens hanc imprimere in præcordia, procul reiectis falsis opinionibus, proinde cum sciret hunc errorem vitæ non mediocriter foueri prauis diuinationibus, totum hoc genus auersatur maxime, diuinos cunctos arcens in perpetuum à sua republica, sacrificos, expiatores, auspices, prodigiorum procuratores, incantatores, sacrificios, omnes enim hi coniecturis ducuntur in speciem probabilibus, eandem res aliter atque aliter interpretando, tum quia subiectum eorum non habet naturam stabilem, cum quia ipsi carent ratione accurata examinandi conceptus suarum mentium. impietatis apparatus isti sunt. quare? quia qui attendit his & obsequitur, credens hinc pendere bona malæque, contemnit autorem rerum omnium: nec intelligunt se vitæ curas committere incertissimis alitum motibus per ærem vltro citroque volitantium, & reptilium è terræ cauernis quærendi cibi causa proteptantium: item visceribus pecudum, cruori & callis anima cadaueribus collapsis vt mutantur in deterius. requirit enim lex in huic ciuitati ascripto absolutam scientiam, non istarum artium quibus vulgus instituitur à teneris, quales sunt diuinationum sortilegiorumque coniecturis nitentium: sed certæ persuasionis & veritatis indubitatiissimæ qua Deus & pietas perdiscitur. sed quoniam à natura insitum est hominibus prænoscenti futura desiderium, & ideo multi se ad aruspicinam similesque diuinandi artes applicant, sperantque harum ope se fore voti compotes, cum tamen seipsæ vanitatis coarguant, seuerè vsus earum interdicitur. nec enim defore pietatis veræ cultoribus futurorum præscientiam: exoriturum repente prophetam aliquem qui vaticinetur correptus numine, nihil de suo dicens (nec enim scit quid dicat qui vere diuinat) sed quicquid proferet quasi alio dictante interpretans. Deus enim per prophetas loquitur, quibus pro instrumentis vtitur ad significanda quæcunque voluerit. Hæc & similia postquam de vno vero Deo cognoscendo vates legiser nos præmonuit, deinceps præscribit quo ritu cum coli oporteat.

DE MONARCHIA.
PHILONIS IVDÆI LIBER II

635

artificumque ingenioso labore architecto-
rumque cura ornatissimæ. sed ordo interior est
submissior, & in apparatu plus austeritatis præ-
se fert. in medio templum ipsum nullis verbis
enarrabile, quantum licet ex his quæ foris spe-
ctantur coniecturam facere. nam intima neminã
videre fas est, præterquam soli sacerdotum prin-
cipi, & id ei quoque vno die duntaxat annuer-
sario permittitur, quo intròspicit omnia. infert
autem odoramenta & focolum cum ignitis car-
bonibus. ibi multo suffitu factò fumus circum-
quaque offunditur, & visum offuscatur nec sine
longius prospicere. Cum enim sit ingens & in
magnam substructum altitudinẽ quamuis in
loco situm non admodum edito, instar celorum
montium attollitur. eius structuræ amplitudo
eximia miraculo est omnibus spectatoribus,
præsertim hospitibus visentibus, & cum alijs
publicis ædificiis cõferentibus vel pulchritudi-
nem huius vel gentis in hoc opere magnificen-
tiam. Lucus autem nullus est intra dictum am-
bitum, quia lex id multis de causis vetuit. primo
quoniam verum templum non amœnitates pos-
tulat, sed severam castimoniam. deinde quia
non est fas importare quæ faciunt ad virorem
arborum, hoc est brutorum excrementa & ho-
minum, tertio quia siluestris materiæ nullus est
usus, cum sit vt Poëtæ loquuntur, telluris inuti-
le pondus: mitiores verò arbores quæ mites fru-
ctus ferunt, parum cordates à religione retra-
herent. præterea condensa silvarum maleficis
conueniunt, ex latebris securitatem & insidia-
rum occasionem quærentibus. at aperta loca &
propatula prospectumque introgressorum &
obambulantium late admittentia, sacris sunt ap-
tissima. reditus autem hoc templum habet non
solum è latifundijs, sed & multo potiores alios;
nullo vnquã interituros tempore. donec enim
genus humanum permanebit, perpetuo reditus
hii cù mûdo vniuerso stabût incolumes. institu-
tũ est enim quotannis offerri primitias ab an-
no ætatis vigesimo: has redemptionẽ vocant, ac
proinde volentes libentes summa cum alacritate
offerunt, quasi hoc pacto suam libertatem, sa-
nitatem, salutemque redempturi. in poste-
rum. cum autem hæc gens sit populosissima,
proculdubio hæc primitiæ maximam rerũ co-
piam suppeditant. quocirca pene oppidatim
sunt sacrata æraria, vbi mos est deponi primi-
tias, quam sacram pecuniã certis temporibus
legati ad templum perferunt, delecti ex cuius-
que ciuitatis optimatibus committentis huic le-
gationi spes suas, quas in religione oblati-
que rite primitijs collocant. Huius nationis cum
tribus numerentur duodecim, vna ex omni-
bus selecta fungitur sacerdotio, quod acce-
pit præmium pietatis atque fortitudinis,
quo tempore plebeia multitudo visa est se-
duci errore quorundam popularium, ad
Ægyptiacum delirium & typhum illius regio-
nis familiare descendit, quæ brutis ani-
mantibus præcipue tauro miras aspingit fabulas.

636

huius igitur dementiæ scelestos autores cum in-
ternectione deleuissent iniussu magistratum,
comprobatum fuit eorum facinus, & pietati na-
uata opera. Leges autem de sacerdotibus extant
hæ: integritas corporis in sacerdote requiritur,
ne quã labem mutilationẽve habeat, nève vllã
agnatam particulam superuacaneam, siue in na-
tuitate, siue per morbum postea: nève colorem
mutatum in lepram aut feram impetiginem, aut
formicantes verrucas albasve postulas & tubercu-
la. quæ omnia mihi videntur figurate referenda
ad perfectionẽ animæ. nam si mortale corpus sa-
cerdotis iuspici oportet ne quo cõactũ sit vitio,
quanto magis immortalem animam, formatã (vt
creditur) ad Dei veri effigiem. sermo autem est
imago Dei, quo ille totum mundum condidit.
post nobilitatem verò generis & integritatem
animæ simul & corporis, de vestitu quoque præ-
scribitur, quem sumi à sacerdote sacris operatu-
ro deceat. is est linea tunica & subligat: alterum
quo tegantur partes pudendæ, quas apud altare
nudari nefas est, altera verò vt expeditius obean-
tur ministeria. absque amictu enim tunicari sa-
cra libationesque peragunt, & quicquid ad rem
diuinam opus est celeriter ac incunctanter sug-
gerunt. pontifex autẽ iubetur & ipse vestẽ simi-
lẽ sumere, quando adyta subit vt aram odoramẽ-
tis adoleat, quæ lintea non conficiuntur è mor-
tali materia sicut vestes lanæ: assumit tamen &
aliam pictã, quæ videtur mundi referre quandã
imaginem, quantum è paratu eius apparet. pri-
mum n. indumentum eius rotundum est totum
hyacinthinum, talaris tunica significans aerem:
siquidem aer suapte natura nigrificat & ipse tala-
ris quodammodo superne à lunari vicinia ten-
sus vsq; ad terra infima. huic superinduitur tex-
tum pectorale thoracis specie, quo cælum sub-
indicatur. nam duo smaragdi præciosissimi emi-
nent in summis humeris, orbiculares, in singu-
lis singuli, qui hemisphæria duo nobis innuunt,
alterum superum, alterum subterraneum. in pe-
ctore sunt gemmæ xij. eximiis coloribus, ternæ
serie quadruplici, ad exemplar signiferi circuli.
nam & ille terna è suis xij. signis in quatuor an-
ni horas distribuit. cæterum tota hæc pars in qua
sitæ sunt, rationale vocatur vero nomine, quo-
niam quicquid cælo continetur, fabrefactum or-
natumque est certis rationibus inter se con-
gruentibus: nam ibi nihil non sua ratione niti-
tur. id rationale geminus textus variat, quorum
alter claritas appellatur, alter veritas. per hanc
subindicatur non esse fas vlli mendacio cælum
ascendere, quod totum inde ad terrestria loca
relegatum sit, & demigrarit in animos scelestor-
um hominum. per claritatem verò, res nostras
clarefcere naturis cælestibus, aliàs in obscuro
futuras. liquet enim, quòd nisi sole illustrante,
non essent conspicuæ tot qualitates corporum,
nec tot colorum formarumque species, nec die-
rum, nocturnum, mensium, annorumque discrimina,

DE MONARCHIA.
PHILONIS IVDÆI LIBER II

617

& in vniuersum quis distinxit tempora, nisi solis, lunæ cæterorumque siderum cursus ac recursus concinniores quàm vt enarrari possint humana facundia? vnde numerorum natura nisi ex obseruatione modo dictarum temporis partium? quis in tanta maris latitudine simul & altitudine vias nautis aperuit, nisi ratio siderum? alia quoque innumera vici sapientes deprehensa per eorum noticiam retulerunt in literas, vt procellas & tranquillitates aeris, felices ac malignos frugum proventus, ætus remissos & ardentissimos, hymes asperas aut vernantes, siccitates & pluuias, siccitatem animantium & stirpiû, aut è diuerso sterilitatem, & id genus alia. omnium enim rerum terrestrium in cælo signa notata sunt. ex infra verò talari pendunt aurea mala punica & tintinnabula & stotuli, quæ terram & aquam significat: terram stotuli quod ex ea germinant floreantque omnia: aqua vero punica, dicta *πόσι κατά τὴν πίσυρ* id est à fluxu iuxta græcam etymologiam. harmoniam potèr consensumque mundi partium tintinnabula indicant. quæ omnia sita sunt decertissime, in summo gemmæ, pectorale illud cæli simulacrum, quia & cælum summum est. sub hoc talaris tota hyacinthina, quia & aer nigricans secundum à cælo tenet ordinem: in extrema vero eius fimbria flores & mala punica, quia terra & aqua infimum in vniuerso sint sortitæ ordinem, hoc cultu pontifex vtitur, totum mundum referens ornatu mirando vel menti vel oculis. Sicut enim hos aspectu ob pretium simul ac varietatē stupendo percellit, magis quam vllum textile in nostris regionibus: ita interpretationem sui partium habet sapientem ac philosophicam. admonet enim pontificem vt considerata vniuersi quæ gestat imagine, vitam præstet à natura non degenerem. deinde vt operando sacris totum mundum deprecatores alleget. Decet enim vt patris sacerdos filium eius mundum hunc ad preces votaque adhibeat. Est & tertium huius sacre vestis mysterium non prætereundum silentio. nam alij sacerdotes tantum pro familiaribus amicis ciuibusque solent rem diuinam facere: at Iudæorum pontifex non solum pro toto humano genere, verum etiam pro naturæ partibus, terrâ, aqua, ære, igne precatur & agit gratias: quippe qui existimat mundum (vt re vera est) suam patriam, solitus supplicationibus ei reddere propitium parentem conditorumque suum. Posthæc legislator præcepit, vt qui accedit altare contrectaturus victimas redeuntibus ad se sacre functionis vicibus, à vino temetipsoque abstinere, quatuor de causis, scilicet vt effugiat pigritiam, obliuionem, somnum, amentiam. merum enim laxatis viribus corporis facit id minus agile, & in somnum velit nolit pertrahit: animi quoque inuentionem remittens, fit ei causa obliuionis ac desipiscentiæ. cõtrâ sobriores & membra sunt leuiora habiliotâque, & sensus puriores sincerioresque. & mens ipsa perspicacior, ad prospiciendum futuris negotiis, & ad præteritorum reminiscentiâ. itaq. in vniuersum vini v-

618

sus censetur ad vitam inutilis, quandoquidem grauat animam, sensus hebetat, denique corpus onerat. nihil enim finit in nobis liberum, sed quicquid attigit præpedit. At cum puritati sacrisque vacatur, tanto est hoc onus molestius, quanto grauius peccatur in Deum quam in hominem. Merito igitur institutum est sacrificiû abstemiû, vt discrimen sit inter sacra & profana, pura & impura, legitima & illegitima. Cæterum quoniam nemo nisi vir cooptatur in sacerdotium, non cariturus amplexum cupidine, quærentur ei castæ virginis nuptiæ, sanctis progenatæ parentibus ac honestis generosisque maioribus. Meretricem enim pariter animo impuram atque corpore, ne aspiciere quidem ei licet, etiam si quæstu relicto ad frugem rediit, eo quod olim pollurum vitæ institutum secuta sit. ipsa vero de cætero quidem eximatur ignominia, propter propositum mutatum in melius: laudanda est enim nequiciæ penitentia, nec verâdus quo minus eam ducat quisquam alius: sacerdotem vero ne accedat quidem propius. huius enim est eximiu præuilegiû, quod requirit consensum mutuum actionum eius omnium inculpabilium ab initio vitæ vsque ad exitum. Videtur enim à ratione bonisque moribus alienissimum, cicatricosus arceri sacerdotio propter notas infelicitatis non malicia: eas vero quæ non solum coactæ, verum etiam interdum sponte formam venditarant, postquam vix tandem resipuerint, ab amatoribus diuulsas iungi mox sacerdotibus, & è lupanaribus migrare in sacra domicilia. manet enim rutilomilus in animis penitentium cicatrices quædam & vestigia nequiciæ pristinæ. proinde recte honesteque vetitum est aliubi, ne merces meretricis inferatur in sacrarium. Atqui numi per se carent crimine, sed quæ hos accepit vnâ cum suo quæstu est abominabilis. quomodo igitur admittetur in sacerdotis consortium mulier, cuius etiam pecunia profana habetur adulterinâque quantumuis probatæ notæ ac materiæ? itaque tanta requiritur in pontifice puritas, vt nec viduam sinatur ducere, siue mariti obitu desolatam, siue diuortio. primò vt sacrum semen intacto puroque aruo capiatur, nec vllomodo misceantur huius natales cum aliis familiaribus: deinde vt inita cum nondum deprauatis animis consuetudine, facilius eas suis moribus accommodent. Sequaces enim & flexiles ad virtutem sunt mentes virginum & ad disciplinam promptissimæ. At quæ iam experta est vitum alium, probabiliter videtur ad institutionem difficilior, vt quæ non adeo puram habeat animam, nec instar ceræ leuigatam, sed iam ante inscriptis, notis asperam, quæ egre delebiles, vel non recipiunt figuras alias, vel receptas confundunt inæqualitate sua. Virginem igitur ducat pontifex castam à nuptiis: virginem inquam non solum cum qua nemo congressus est alius, sed ne desponsam quidem alteri, quando non sola hic requiritur castitas corporis. Reliquis sacerdotibus, quod ad nuptias attinet, præscribuntur eadem quæ pon-

DE MONARCHIA.
PHILONIS IVDÆI LIBER II

639

tilicibus: verum his præter virgines etiam viduas licet ducere, non quasvis tamen, sed quatum mariti defuncti sint. non vult enim lex materiam contentionum præberi sacerdotibus, quas viuis prioribus maritis posteriores vix possunt effugere propter zelotypiam. cæterum illis extinctis, simul affectus talis extinguitur. & alioquin etiam æquum est pontificem puriorem sanctiorémque, sicut in cæteris rebus omnibus, sic in nuptiis quoque se approbare, nec nisi virginem puellam ducere. Secundi autem ordinis sacerdotibus permittitur cum mulieribus vitum expertis connubium. Quin & de genere futurarum vxorum diligenter præscribitur, vt pontifici despondeatur non solù virgo, sed sacerdotalis generis, vt sponsus sponsaque gentiles sint & quodammodo consanguinei, quo magis per totam vitam moribus conueniant. cæteris conceditur vt quamuis ipsi sacerdotes sint, possint tamen ducere non sacerdotum filias: siue quòd leue sit hoc piaculum, siue quòd non expediat plebem in totum submoueri à sacerdotum affinitatibus. ideo licitum est sacerdotibus huiusmodi connubium, vt cognationi proximum. nam generi loco filiorum sunt soceris, & hi vicissim loco parentum suis generis. Hactenus de coniugio, & cura procreandi liberos. Quoniam autem generationem sequitur corruptio, etiam de vita functis leges sunt proditæ, quibus decernitur, sacerdotes non funestari ob cuiusvis amici cognatiue interitum, sed tantum sex cognationis proximæ, patris matrisque, filij vel filia, germani germanæve virginis. at pontifici in vniuersum luctu interdicitur, nec fortasse immerito. nam aliorum sacerdotum functiones habent suas vicissitudines, vt pro aliis cessantibus ministrent sacris alijs, & quibusdam luctu occupatis, nihil tamen omittatur è solennibus ritibus atque ceremoniis. pontificis autem officia propria committuntur præter ipsum nemini. Quamobrem semper impollutus permanere debet cauens à contactu cadaveris, vt paratus sit temporibus debitis vota sacræque sine impedimento facere. Cum enim alioqui sit Deo dicatus ductorque sacrati ordinis oportet eum abdicari omnibus cognationis affectibus, vt charitatem erga parentes, liberos, fratres posthabeat, nec vnquã ea retardatus potiora negotia differat. idem vetatur in domestico luctu vestimenta scindere, & insigne sacerdotij suo capiti detrahere, aut è fano per occasionem luctus excedere, vt ob loci ornatusque reuerentiam resistat inæsticiæ, & fortis malit videri, quàm miserabilis. Postulat enim in eo viro lex præstantiorem homine indolem, quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam diuinæ humanæque naturæ (si verum fateri licet) confinio, vt hoc meditato re Deus propitiatur hominibus, eiusdem ministerio porrigat eis largiaturque suam gratiam. Post hæc præcepit lex de iis ad quos primitiarum vltus fructus pertinet. Si quis, inquit, sa-

640

cerdos oculum, aut manum, aut pedem aliudve membrum amiserit, aut maculam aliquam contraxerit, ad sacra quidem tractanda non admittatur propter calamitates huiusmodi, fruatur tamè sacerdotum honoribus, propter dignitatem generis irreprehensibilem. Quod si aut lepra sacerdotem occupet aut seminis profluuium, nec sacram mensam attingito, nec portionem accipito honorariam, donec sistatur profluuium, & lepra decedens cutem relinquat concolorem. Quod si sacerdos rem quamcunque impuram attigerit, aut somnio venereo pollutus fuerit, ea die sacrificiis absteineat: sed sub vesperam ablutus sinatur partem suam capere. Accola verò sacerdotis & mercenarius arceatur à primitiis. Accola ideo, quia non omnibus vicinis mensa communis est, & cauendum ne sacra profanentur nimio humanitatis studio. Non omnibus enim danda omnia, sed quæ accipientibus conueniant. Alioquin ordo, quo nihil in vita melius, tollitur è medio, succedente confusione perniciosissima. Si enim in nauibus onerariis nautæ gubernatoribus pares erunt, & in trirētibz æquabuntur præfectis remiges naualesque socij, in exercitu vero equites magistris suis, securati ordinum ductoribus, centuriones legatis & imperatoribus: item in republica concionatores senatoribus, rei iudicibus, & in vniuersum plebeij magistratibus, tumultus seditionesque nascuntur, & ista verbotenus æqualitas inæqualitatem rerum pariet. Nam æqualia dignitate imparibus tribuere, est inæqualitas: inæqualitas vero, fons malorum. Quam ob rem honorariæ partes sacerdotum nec cum accolis quidem communicandæ sunt, ne propter vicinitatem attingant quæ nefas est tangere. Nam is honor non domui habetur, sed generi. Similiter merces è sacra portione non, est reddenda mercenario. Nam is si profanus sit in profanum vsu vertet quæ honoris causa tributa sunt nobilissimo sacerdotum generi. Quapropter neminem alienigenam lex admittit in societatem sacratorum fructuum, etiam si ex iudigenarum nobilitate paterno materæque genere sit laudatissimus, vt hi honores incorrupti permaneant penes sacerdotalem ordinem. Inconueniēs enim fuerit, victimas, sacrificia, cæterasque altaris ceremonias committi sacerdotibus, præterea nemini, honores vero eorum communicari quibuslibet: quasi deceat illos diuexari nocturnis diurnisque curis ac laboribus, præmia vero etiam otiosis promiscue contingere. Vernæ autem, inquit, & empticio dominus suus sacerdos impartiat cibum potumque de primitiis. Primum quia seruus nihil lucratur nisi ex domino, cuius ipse est possessio, vt necesse sit seruum ali è sacris prouentibus. Deinde ne quod omnino futurum est, id inuiti faciamus.

DE MONARCHIA.
PHILONIS IVDÆI LIBER II

641

Nam serui, dum velimus nolimus nobiscum versantur perpetuo, & cibum potumque paraudomensas heriles instruunt, dum ministrant vescentibus & reliquias efferunt, si non aperte desumunt, certe clam furtiunt, necessitate cogente: atque ita vni culpæ, si tamen culpæ est vti cibus dominicis, alteram addunt furtum videlicet, vt furtim sacris fruuntur sine crimine, quod est absurdissimum. Huc accedit causa tertia, quod non est periculum ne primitiæ vilescant seruis communicatæ, quandoquidem hi cohibentur metu dominorum, qui ne insolescat possunt in officio continere familiam. Postremo sequitur lex humanitatis plenissima, sic præcipiens. Si filia sacerdotis nupta sacerdoti per mortem mariti fiat vidua, aut à viuo propter sterilitatem deferatur, retro in paternas ædes reuertatur, vt de primitiis viuat, sicut quando virgo erat. Nam & nunc quodammodo virgo est potentia, siquidem destituta marito ac liberis, nullum præter parentem habet refugium. Vbi vero supersunt filij filie, necessariò liberis suis mater attribuitur: qui cum ad paternam domum pertineant, matrem quoque secum adducent in idem domicilium.